



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

40. Sagittâ Xauerius vulneratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

vnus spatium suam manu lustraret. Quin & interdum vno die vicum totum, incolis frequentem, inter quae spectaculo fruebatur longè gratissimo, & iucundissimo, cum in Christianorum adlecti numerum, mox in fana, & aras daemonum certatim procurrerent, idola euerterent, raptarent, ludibrio & ignominiae, in contemptum Brachmanum, & daemonis obicerent. Quoad caetera audiendus, semestris itinerum, & sudorum Xauerio comes, Patre Ioanne Vazio Doctore Conimbricensi natus, eorum quae tunc cernebat ipsemet, postquam redisset in Europam narrator, nudis scilicet pedibus, Xauerium semper incedere consueisse, veste breui, attrita, & vili; telam instar pilei nigrae petasatum, ad retundendos solis coquentes radios. Magni Patris vocatum cognomine, Regem praeconio publico, omnibus edixisse, fratri suo Magno Patri, perinde ut sibi parentibus, essentque Christiani quicumque vellent. Dedit illi praeterea pecuniam grandem, sed eum nihil eius sibi fecisse residuum, totam in regendis, pascendisque pauperibus effudisse: sacras aedes quinque supra quadraginta secus mare ab eo constructas: Barbarorum linguam quam nunquam didicerat expeditissime locutum: hominum quinque aut sex millia in planitiem eduxisse, ad eos summam ex arbore conciones habuisse quod nullus concursus auditorum sat locus caperet: facris etiam sub aperto caelo operari assuetum, altari tamen sic velis nauium inumbrato ut vndeque prospectum populo nequaquam adirent, campusque ingens pro templo esset. In omni denique viuendi, agendique ratione, adeo fuisse mirabilem, ut nec ipse referendo par esset, nec inter quos degebat, indigenae. Mihi plus nimio sit, quod alij testantur, non minoris ab eo quem producebam nunc, fidei, Regnum Trauancoris, vniuersum, subeunte in illud Xauerio idolorum cultui mancipatum; exeunte Xauerio paucis post mensibus fuisse Christo integre assertum. His quantam in rabiem efferaretur daemon, tam securam, & antiquam populorum tyrannide, a vili homulo tam breui excussus, nimium prodidit atrox bellum quod in eum mouit.

40 Armatis qui eum confingerent barbaris, quorum etsi fuere magnam partem vulnera sine ictu, haud tamen omnia: sagittam enim corpore excepit, ut cuius, ad salutem mortalium tantoperè vita intererat; ardens eius vittus profusione aliqua sanguinis sedaretur, & desiderium quo semper flagrarat obeundi per cruciamenta quauis martyrij, leniretur utcumque acerbitate illius vulneris.

40  
Sagittam X-  
uicium vul-  
neratur.

41. Verum ictus est haud paulo acerbius, filiorum periculo, quam proprio vulnere. Badagis post cladem orae Piscariae, anno proximo illatam, nouas daemones furias subdidit, indignantibus regnum Trauancoris in Christi iura concessisse. Ad arma igitur conuolare, inimicitias, & bellum contra illud iurare; quodque rem sibi futuram cernerent non iam ut antea cum piscatoribus Parauis, delectum habere, conflare exercitum, & Duce Naico Madurensi, incessu littora occupare, in quibus definit cornu Comorinum. Huius apparatus, & agminis, perlati Trauancorem

41  
Exercitum  
hostium so-  
lus fugat.